

† R. P. Carolus Voinot (1861-1932)

(Proc. Paris.)

Die 12 Februarii a. c., postridie festum Dominae N. Lourdensis, in domo nostra Parisiensi miti obitu inter preces lacrimasque confratrum in Domino obdormivit R. P. Carolus Voinot, qui 53 annis vitae in statu religioso exactae semper Instituto nostro decori fuerat. Quamquam per quadraginta iam annos cardiaco morbo laborans, tamen usque ad d. 8 Februarii Sacrum litaverat sueta sua devotione, et operam suam sacerdotalem animabus se duces sequentibus more solito impenderat. Postero die congestio pulmonaris eum cubiculo retinuit, et iam quarto die post embolia, quae vocatur, veneratissimum senem, prius morientium sacramentis munitum, nobis eripuit.



Ad eius corpus emortuum multi per biduum pie oratum accesserunt. Exsequiis quoque, in aede Dominae Nostrae de Perpetuo Succursu (*Ménilmontant*) d. 15 Febr. celebratis, magna ac selecta turba adstitit. In Antony inter confratres corpus quiescit, ultimam tubam gloriosamque resurrectionem exspectans.

Carolus Aemilius Voinot, origine Lotharingus, natus est in Herbéviller (*Meurthe-et-Moselle*) d. 3 Iunii 1861 parentibus agricolis honestis. Patre orbatus est nondum septennis, et nondum decennis primam communionem recepit. Postea confessus est: « Quibus desideriis adventum boni Iesu anhelabam! Quantum gaudium sensi benedicto illo die illucescente! Qui possum exprimere dulcedinem illam, cum in parvo pectore meo quiescebat ille, qui cor meum formaverat! ».

Pius puer nondum studia Latina inceperat, cum missio quaedam, a nostro P. Constante Rose in Herbéviller praedicata, eum ad Institutum Alfonsianum allexit; at quia mater filium natu minimum hac tenera aetate a se separari non patiebatur, Carolus primum apud loci parochum Latinae linguae addiscendae incubuit et mense Octobri 1876 parvum Seminarium oppidi Pont-à-Mousson ingressus est. Tamen biennio post cum piae genitricis benedictione proficisci potuit in novitiatum nostrum S. Nicolai a Portu, ubi festo S. Teresiae a. 1879 se Christo et Congregationi in perpetuum consecravit.

Ingeniosus iuvenis, qui olim in quodam « concursu », licet ex 36 natu minimus, primum locum obtinuerat, sine difficultate studia prosecutus est

et primum quidem humaniora in Houdemont duce R. P. Zephyrino Baudet, dein altiora in Dongen Hollandiae, Praefecto R. P. Matthia Raus, et festo S. Ioseph a. 1887 sacerdotio auctus est.

Operariis primum actionis campum invenit, Lector iuvenatus et Socius R. P. Victorini Hauger; sed cum viribus corporis non polleret, autumnus a. 1892 communitati Parisiensi adscriptus est. Ibi medicus organicum cordis defectum aliasque infirmitates adesse statuit. Nil mirum igitur, quod R. P. Voinot per reliquos 40 annos vix sinebatur arduum ministerium nobis proprium in missionibus exercere (tantum in 8 magnis missionibus suam partem habuit); verum ut genuinus Patris zelantissimi filius alios apostolicos labores perficere numquam recusavit. Saepe in ecclesia nostra verbum Dei annuntiabat stilo suo perspicuo, eleganti, nervoso quoque, si quando oportebat, et semper abundanti. Permultae animae, praesertim e familiis magis cultis, eum confessarium ac spiritus moderatorem elegerant. Foris autem usque ad iniqua ista decreta expulsionis (1903) 132 cursus exercitiorum tradidit, quorum 48 ad religiosas, 74 ad alias virgines aut puellas.

Communitatibus nostris dispersis, Patri Voinot Lutetiae Parisiorum remanere licuit et per quinquennium curam spiritualem exercitare in hospitali Sororum S. Mariae a Familia in vico Blomet, postea per alios undecim annos penes Sorores Augustinianas Meldenses in via Oudinot. Eodem tempore 48 cursus exercitiorum, 7 tridua eucharistica, unum mensum Marianum, 238 sermones particulares habuit.

Cum bello finito Patres dispersi ad communitates revocarentur, ii, quibus P. Voinot tanto studio tantaque discretione sacerdotalem suam operam impenderat, dolentes eum abeuntem viderunt, Rector Maior vero Rev. eum medio anno 1919 Rectorem Congregatorum Parisiis commorantium constituit. Locatione domus viae vulgo *Boulevard Raspail* a proprietario revocata, confratribus vici *Charles-V* se univit, sed brevi post, a glorioso S. Ioseph aperte hac in re adiutus, aliud habitaculum magis aptum repperit, duplicem illam domum *Boulevard Montparnasse 170* et *170 bis*, ubi adhuc nostra communitas Parisiensis habitat.

Ita P. Voinot magnum opus suum perfecerat, et nominationibus post Capitulum a. 1921 factis gravi onere rectoratus levatus est. Brevi post chirurgicam operationem subiit felici cum eventu et consuetum vitae cursum continuavit.

Peculiari mentione dignum est « Opus Rosarii parvulorum », a quadam filia spirituali Patris Voinot conditum, cuius supremam gubernationem ipse assumpsit. Parvuli post scholam pomeridianam ad ecclesiam vocantur ad Rosarii decadem recitandam; quo simplicissimo medio iam universae parociae antea fide languentes ad fervorem reductae sunt. Inde ab anno 1925 Opus ad totam fere Galliam eiusque colonias diffusum est.

Autumno a. 1929 in ecclesia cathedrali Rhemensi tria milia parvulorum Operi adscriptorum coadunabantur, adsistente etiam P. Voinot, similiter d. 25 Oct. 1931 Baiocae quattuor milia. Opus etiam sua folia periodica habat *L'Ave* inscripta, quibus redigendis Patris Voinot opera minime deerat.

Anno 1929, quo iubilaeum suum aureum professionis, aliis quinque iubilatis circumdatus, celebravit, tamen 5 500 confessiones a se exceptas notare potuit, et anno superiore saltem 2 248.

Sic igitur *pertransiit benefaciendo* hic confrater, cuius anima ardenti zelo, magno orandi studio, sincera caritate fraterna aliisque virtutibus ornata erat, et in cuius habitu externo semper resplendebat humanitas associata dignitati. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*
